



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Peccatum animam in seruitutem redigere & quomodo ab ea liberari possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

dominatum habet, ibi peccatum omnem suam amittit estimationem.

SOLVE VINCLA REIS.

Peccatum animam in servitutem redigere: & quomodo ab ea liberari possit.

CONSIDERATIO.



Primum dicitur anima pia: peccatum in durissimam & asperrimam servitutem perducere: veruntamen ut hoc planius intelligatur, & malitia illius, impedimentumque quod omnibus ad salutis portum tendentibus obijcit, clarius perspicitur: Redige tibi in memoriam, *Effectus peccati mortalis.* quod ante dictum est, mortale peccatum hominem inimicum DEI, ac Sathanæ mancipium constituturum. Mancipium dico, & tale mancipium, ut per seipsum libertatem nulla ratione assequi possit. Aduerte præterea idem peccatum a deo contagiosum esse, ut animam quodam-

modo perimat, dum illam diuina gratia quæ illius vita spiritualis est, spoliat: neque modò gratia sed etiam donis gratuitis priuat, per quæ illam ita debilem & infirmam reddit vt nec tentationibus resistere, nec in semitis virtutum progredi, nisi speciali Dei auxilio adiuta & roborata fuerit, possit. Figuram huius animæ gerit homo ille qui, vt narrat Euangelium, descendens ab Ierusalē in Iericho in manus latronum incidit, atq; ab illis spoliatus, vulneribus cōcisus, atq; ad eam debilitatē redactus est vt ultra progredi nequiuisset, nisi Samaritani ope adiutus ac pristinæ incolumitati reditus fuisset. En quanta sit peccati malitia: En quā deplorandi effectus eius! Quā multos autē in mundo existimas reperiri, qui secundum animam similes sint huic homini vulnerato & semianimi?

*Qui similes
sunt homini
ab Ierusalē
in Iericho
descendenti*

Maximam, pro dolor, & innumerabilem multitudinem, qui cum sint sani, valentes, & robusti quoad corpus, infirmi admodum & debiles

les sunt quoad animam, & ita debiles, vt ne infirmitatem quidem suã animaduertãt, & periculum in quo cum manifesta salutis suæ pernicie versantur, intelligant. Trãfigunt in Peccatorã
delicijs & voluptatib. dies suos, & cæcitas.
sibi persuasum habêt se rectè pergere ad Paradisi portas: cum interim clausis oculis immani cū furore ad horrêda inferni præcipitia festinêt. In circuitu, inquit scriptura, impii Psalm. 17.
ambulant. hoc loquendi modo indicans illos nihil proficere nec ad anteriora progredi, sed in huius mundi procelloso mari vt plurimum submergi ac perire, alios hac alios alia ratione.

Filij Israel ad terram promissionis terram fertilem, & lacte ac melle manantẽ possidendã proficiscebantur: at posteaq̃ varijs peccatis se cõstringendos dederunt, irãq; Dei aduersum se prouocarũt, iter suum Num. 25.
præpediuerunt, retroq; redeuntes 1. Cor. 10.
alij, vt S. Paulus ait, gladio propter idololatriam, gulam & luxuriã ceciderunt, alij propterea quod Deum tentaf.

*Num. 5**Num. 25*

tentassent, moribus serpentum perierunt: alii propter murmuraciones & rebellionem suam ab Angelo exterminatore deleti sunt. Idem euenit hominibus mundo & carnis voluptatibus deditis. Qui ad paradysum, veram terram promissionis conditi sunt, mare rubrum in sacramento Baptismatis transferunt, atque in semitam ad coeleste regnum tendentem collocati fuerunt. Sed quid? videas illos statim à semitis coelestis regni aberrare, & cum quadam cordis hilaritate, spontanea voluntate sua, prudentes scientesque ad naufragium ferri, alios quidem per superbiam, alios per auaritiam, alios per luxuriam, alios per aliud quoddam flagitium.

Peccati malitia quantasit.

Aduertis modò Fidelis anima, quàm ingens sit peccati malitia, & quàm durum sit vinculis ipsius constrictum esse. Quæ si etiam nexus illius incidisti, atque ab illis eximicupis: necessarium tibi primò est, vt ad B. virginem MARIAM confugas, atque illam roges, vt tibi gra-

gra-

gratiam contritionis, ac veræ Pœnitentia donum impetret. Deinde ut ea sacerdoti legitime ordinato, si opportunitas tibi adfuerit, cum circumstantiis & conditionibus requisitis confitearis: præmissa videlicet diligenti conscientia examine, antequam sacerdotem accedas: in ipsa verò confessione omnia peccata quæ te commisisse meministi, sine vlla exceptione, cum suis speciebus, numero, cæterisque circumstantiis quàm dilucidè potueris, exponendo: ne illa verbis compositis pallies & circumscribas, vel excuses, aut eorum culpam in alios reijcias. Demum ut obedias confessario, & quæcunque ad pœnitentiam & satisfactionem pertinentia facienda imperauerit: exequaris: consiliis etiam quæ dederit, morem geras.

Hæc necessitas sacerdotibus peccata confitendi prouenit à mandato Christi, qui sacramentum hoc instituit: nam euidentis satis est ipsum cum illud institueret, sacerdotibus quæ peccata ligandi & soluendi po-

Quomodo à peccati vinculis quis expediri possit.

Ioan 20.

*Aug li. 50.
hom. hom.*

49.

te.

restatem daret, pœnitentem obligare voluisse vt peccata sacerdoti cōfiteretur. Sacerdos enim hoc sacramētū administrans Iudicis officio: quē-

Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. ca. 7. admodum SS. Concilium Tridentinum declarauit: fungitur. Iudicare autē non potest de peccatis quæ ignorat: vt verò nouerit, necessarium est vt is

qui peccata commisit illa manifestet atq; exponat: vti sancti Ecclesiæ

Hiero. ep. 1. ad Heliod. doctores ratiocinātur & concludūt.

Chryf. 3. de sac. Necessarium est igitur peccata confiteri, si ab illis absolui cupis.

Luc. 17. Christus id significauit quando leprosos à se curatos, ad sacerdotes antiquæ legis remisit. Clarius etiam

Ioan. 11. atque apertius, quando Lazarum à mortuis excitatum Apostolis soluendum, & à vinculis expediendum atque soluendum tradidit.

Confessio peccatorū necessaria. Quocirca patiaris te à vinculis absolui, confitere peccata tua Deo, & sacerdotibus Dei vicariis: caue

ne propter verecundiam aut sinistram suspicionem aliquod peccatum silentio prætereas: aut confessionem partiaris, vnam illius partē

vni, alteram alii confitendo: hac namque ratione absolutionem quã optas minimè consequeris, sed arctius te ligabis, atque subeundæ maioris confusionis periculo te expones. Peccata enim quæ in secreto confessionis subticueris, in nouissimo iudicii die ad lucem proferentur, & æternis ignibus castigabuntur.

Quamobrem noli verecundari exponere Patri tuo spirituali omnia quæ tuam grauant conscientiam: atque posteaquam illa manifestaueris & confessus fueris, pro illis satisfacere stude, dignos poenitentia fructus, iuxta S. Ioannis Baptistæ consilium, agendo. Precibus & ieiuniis incubè: largas egenis eleemosynas dispertire: caue vel maximè ne uti canis ad vomitum reuertaris: hoc est, ne ad eadem peccata, à quibus semel solutus fuisti, redeas, ne forte deterius quiddam, dicente Domino, tibi eueniat. Ille qui statim post confessionem in peccata quæ confessus fuerat relabitur, a pte monstrat se paruum admodum de peccatis admissis dolorè & contritionem habuisse. Vis securus esse

*Confessionis
circumstan-
tia.*

*Matt. 3.
Fructus di-
gni poenitè-
tiae quomo-
do agend.*

Ioan. 5.

*Remedium
contra reci-
diationē.*

à reciduatione? Cura vt veram de peccatis contritionem, firmumque propositum ea fugiendi habeas. Atque vt hoc assequaris, præ oculis continuo habe prauos peccati effectus, quos in anima producit. Horum quosdam supra enumeravi, è quibus reliqui nullo negotio colligi possunt. Roga denique B. virginem Mariam vt spirituale lumen tibi dignetur impetrare, quo illos clarè cognoscas & detesteris.

PROFER LVMEN COECIS.

*De spirituali cœcitate ac methodo
eam effugiendi.*

CONSIDERATIO.



Piritualis cœcitas nihil aliud est, quàm quædam intellectus obscuritas, quæ causa est, quo minus homo possit cognoscere quæ ipsi ad salutem necessariò credenda & facienda sunt. Hac cœcitate atque caligine circumfusi sunt omnes Ethnici,

*Cœcitate
qui homi-*